CAPUT XI.

Examen Joannis Abels, cui quædam notitia cum Textore erat.

HIc igitur ex Portâ vulpinâ extractus aliquamdiu ante fores cubiculi, in quo præclari isti justitiæ Administratores sedebant congregati, expectare cogitur. Egreditur interea nequam ille Textor planè perplexus, & lachrymis perfusus. Stanti ergo Abels in conspectu militaris tribunalis antè memorata mendacia proponuntur, quæ omnia præfatus Abels negat, insuper petens sibi criminatorem talem demonstrari. Introducitur Textor, cui sanguinis pretium nimirum aurum à Ceporino & consortibus acceptum idem Abels in staterâ ponderaverat. His igitur verbis Textorem alloquitur: *Syt ghy den geenen, die dees loogens hebt aengebrogt?* addit & seriò admonet, ne falsum testimonium dicat, Textore desuper muto permanente quidam Officialis vices implet, Textori significans: *Hy sall bekennen, als hy eens bekent had.* His peractis, & Officialibus garrientibus Textor quædam verba quasi clauso ore ruminat. Dicit Abels, loquere apertè, ut videam te, si bonæ indolis socius es; in quo loco Supplica signata, quo tempore Verdugo Gochiæ fuit, omnes circumstantias adde? opera tua manifestum proditorem te facient.

Involat denuo in hanc propositionem antedictus Officialis dicens: *Hy soude soo stout niet spreeken, hy vvaer te Brussel niet.* Datur desuper mandatum carnifici, ut innocentem apprehendat, qui non longam moram passus, manus & pedes acriter colligat, in præparatam scalam sternit, talitérque exercet, ut

ne

ne vel membrum permanserit illæsum. Taliter ergo pendens interrogatur: num extremum Dei Judicium sustinere vellet, omnia ei prælecta falsa esse? cui alter patiens respondit, ita. Tunc è scala dimittitur, & taliter tortus rursum portam scandere cogitur. Prodit in medium post hos Elbertus Voest, cui extorquere volebant diem cœnæ factæ in ædibus ejusdem cum Verdugo & quindecim aliis, & protractæ in seram usque noctem. Respondet Voest: interrogate milites apud me hospitantes, si unquam tales personæ domi meæ congregatæ fuerint; verùm hoc illis non arridebat, quia non veritatem, sed perniciem quærebant, ut tandem bonorum possessores fierent. His actis ad captivitatem suam migrare cogitur.

Quartâ Martii tandem ordo pervenit ad Jacobum Hasenbergh, in cujus ædibus repertæ fuerant quædam cantilenæ de factionibus & rumoribus à Ceporino practicatis per Petrum Exken compositæ. Hic necessariò virulenta ista corda, & oculos vindictam spirantes satiare debebat; ergo ad torturam producitur taliter, ut pluribus vicibus mentis impos fieret. Instabant invidi, donec tandem ipse carnifex lassus ait: *Hy moet eerst weer kout worden.* Sed non sufficiebat, post meridiem de novo ad tam immisericors opus proceditur, ubi taliter eundem exercuerunt, ut cutis nigrum colorem induerit, & semivivus domum deportatus fuerit. Carnifex desuper fatigatus in morbum incidit, & curru Neomagum vehitur, in fine vitæ suæ paulò post confitens, Cives esse innoxios & se à Deo punitum, quòd tales angustias honestis istis intulisset.

Carnifex debitam mercedem suam jam tum receperat. Ceporinus non quiescebat, sedens integris die-

diebus in Castello, & omnia Catholicorum scripta quasi venaticus canis perscrutans; si fortè quid inveniretur, quod falsis conceptibus suis applicare posset: Cantilenas inprimis à Petro Exken compositas devorare non poterat; quare posterâ die evocatur carnifex Clivensis, rursum torquetur Hasenbergh, sed nihil confitetur, nisi prædictas cantilenas à PetroExken compositas esse, de reliquis calumniis se nihil scire.

CAPUT XII.

Adventus Lamberti Charles describitur, quem accedit temporalis Consul pro captivis intercedens.

COmparet ergò Gubernator Lambertus Charles, Neomagi & totius districtûs Clivensis patriæ ab hâc parte Rheni Gubernator, ut hunc actum præsentiâ suâ ad optatum finem deduceret. Hoc advertentes Matronæ Gochenses Consulem pro tempore regentem Petrum van Hegenraeth justum, quamvis Reformatæ Religionis, virum accedunt, qui de conceptâ falsariorum calumniâ prorsus nihil sciebat; rogant ergò Consulem, quatenus ratione sui officii cum optimis Civitatis Civibus pro liberatione Innocentium Gubernatorem invisere, & pro eorundem liberatione intercedere non gravetur. Officium igitur boni Patris-Familias implens Gubernatorem adit, & sequentibus verbis interpellat: *Waerom hy op het seggen van eenen Wever, ende Lichtmisse alleen soo veel Mannen, ende degelycke Borgers ingetrocken hadde.* Inquit alter: *Wy staen op den Wever alleen niet, hebben al andere inditien.* Hisce indigitans falsam Epistolam, sicut etiam reliqui militaris Tribunalis